



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# Universitätsbibliothek Paderborn

## Instrvctio Magistri Novitiorvm

Juan <de Jesús Maria>

Coloniæ, 1613

Cap. 3. De Spiritualibus Nouitiorum exercitijs, & præparatione ad  
professionem

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48543](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48543)

*Cap. 3. De spiritualibus Novitiorum exercitijs, & preparatione ad professionem.*

**M**agister dabit operā, vt omnes Novitij infra suæ probationis annum spiritualia exercitia faciant, in loco designato: vbi per dies aliquot soli morabuntur, & orationis, ac piæ lectio- nis pastu confirmabuntur, ad reliquam viam celerius perfectiusq; faciendam.

2 Tunc accurata discussione, & intima peccatorum contritione, confessio generalis fieri poterit, nisi iusta de causa, ante id tempus facta fuerit. Atq; ad eum modum Novitij, qui exercentur puriores euadent.

3 Erit rationi consentaneum vt tempus, quo Novitius quisque spiritualibus his exercitijs vacat, sit professioni proximū; vt rem tantam seorsim altè præmeditetur, & de Magistri consilio, opportunis meditationibus, & actibus ad eam se comparare studeat.

4 Inter alios preparationis actus, erit ad rem, formulā preparationis ad professionem,

tionē, quæ in Instruktionē Nouitiorum habetur, per dies aliquot, ter vel quater, ex animo legere illosquē affectus serio concipere.

5 Ijs diebus, qui exercitijs destinantur, Magister fratres ibi Deo vacātes frequenter visitabit, & rationem rerum exiget, atque salutaribus monitis instruet.

6 Curet Magister fratres, qui exercētur, firmissimo aliquo peculiari pacto cum Deo coniungere; vt scilicet in posterum eo pacto se obligatos sentiāt, ad aliquid solito sanctius Iesu Christi amore præstandum: vt si quis (exempli gratia) verbosus, vel immodestus fuerit, ex quo cum Deo pepigit, se in posterum, tacitum, modestumve futurum, se strictissimè vinctum sentiat, & in proposito perseveret. Atque hic certè vberimus, & ad aliorum exemplum efficacissimus exercitiorum fructus erit.

7 Sedulò curet tempus anteuertere, vt qui habent temporalia bona, & testamentum, aut aliud dispositionis genus, facturi sunt, ante postremos illos dies studio rerum internarum, & grauissimo professionis actui præmeditando assignatos, seipso expediant. Ijs quippe diebus

ebus sæculares cogitationes non solum importunæ, sed spiritus diuini capitales inimicæ sunt.

*Cap. 4. De exercitijs ante sanctiora tempora fieri solitis.*

**P**Ræter eam animi præparationem, quæ ante solennissima festa fieri solet, mos inter fratres nostros inualuit, ut appropinquante Aduëtu, Quadragesima, cursuq; illo ieiuniorum Ordinis proprio, Magister Nouitios admoneat, & præscriptis exercitijs internis ac externis ad vltiorem perfectionem comparandam opportunis præmuniat.

2 Diebus ergo decretis illos ad cursum adhortabitur; & ad rem feruentius, ac fructuosius præstandam, præcipiet, ut quisq; si animaduertent, actum aliquem communem lætescere, vel obliuione sensim deleri, aut actum aliquem ad perfectionem desiderari, scripto notet, atq; ad ipsum deferat, ut perfectionem monasticam promouendam curet. At caueat, ne temerè nouos rit<sup>9</sup> inducat, vel quicquam immuter.